

creatione mundi, seu saltem terræ, et pro creatione hominis. Nec mirum id, quoniam nulla aderat scientifica ratio ad separationem aliam statuendam inter utramque creationem, quam eam, quæ sex diebus naturalibus seu viginti quatuor horarum continetur. Ast vero, posteaquam ex factis et observationibus scientiarum naturalium, præsertim vero geologiæ et paleontologiæ, constat, multiplices manifestationes vitæ vegetalis et animalis præcessisse hominis existentiam, hodierni philosophi christiani, sicut et theologi, ultro libenterque admittunt, non pauca sæculorum millia, fortasse etiam centena millia effluxisse, ex quo die vitæ priores manifestationes apparuerunt in terræ visceribus usque ad diem, quo homo ad imaginem et similitudinem Dei creatus est.

Porro, quid circa hominis antiquitatem opinari quis possit, non licet decernere, nisi præ oculis sequentia habeantur:

1.º Si a superficie terræ ad hujus inferiora descendamus, præter zonam, ut ita dicam, superficialem, cujus initium et constitutio tempora historica complectitur, quatuor alias zonas inæqualis magnitudinis, constitutionis et naturæ observarunt atque distinguunt, qui geologiam atque paleontologiam colunt, nimirum, a) zonam *quaternariam* post superficialem, descendendo, locatam: b) zonam *tertiariam*, ut ajunt: c) zonam *secundariam*, quæ præcedenti subjicitur: ac demum, d) zonam *primariam*, quæ omnibus quatuor nominatis substratur.

2.º Præfatæ quinque zonæ (terrenos, rocas, formaciones geológicas) inter se differunt ex parte magnitudinis seu massæ, ex parte materiæ seu corporum, quibus constant, ex parte modi, quo initium, evolutionem ac situm acceperunt, per ignem, per aquam (strata, stratificationes, terrenos sedimentarios), per elevationem, per depressionem, ope frigoris, etc., eisdem continentur. Si ejusmodi differentiæ inter zonas prædictas serio considerentur, inficiari nequit, earumdem constitutionem et existentiam, prouti nunc a nobis inspicuntur, innumera pene annorum millia exigere ac supponere, nisi miracula miraculis addere velimus, quæ

quidem superflua essent ex parte Dei <sup>1</sup>, ac proinde minime admittenda ab homine ratione prædito.

3.º Ex geologorum et paleontologorum observationibus constat, a) zonam infimam ex supra relatis (terrenos primitivos) nulla vitæ vestigia in se continere, ac proinde *azoi-cam* esse, ut ajunt: b) zonam, quæ anteriori superponitur, seu *secundariam* (terrenos secundarios), vitæ quidem vestigia et signa præ se ferre, sed quæ ad viventia inferioris ordinis seu gradus, ut plurimum, pertinent, quin vestigia aut ossa animalium relative perfectorum, multo vero minus hominis, in præfata zona habeantur.

4.º Quod *tertiariam*, ut ajunt, zonam (terrenos terciarios, periodo terciario, rocas terciarias) attinet, non desunt sapientes homines, quos inter eminet Quatrefages, qui contendunt, hominem terram jam inhabitare, dum præfata zona seu pars corticis terrestris efformaretur, præsertim si de ejus parte superiori (terreno mioceno) sermo sit. Ast vero pars maxima hominum, qui geologiam, paleontologiam atque ipsam archeologiam præhistoricam colunt et tractant, confitentur existentiam hominis terciarii nullo sollido vel certo

<sup>1</sup> Apposite ad rem Molloy in præclaro opere cui titulus *Geologie et Revelation*: «Estamos bien persuadidos que el gran Creador del universo no llamó repentinamente á la existencia á restos disecados y fragmentos rotos de animales que no hubieran existido jamás; que no grabó sobre macizas rocas, sepultadas en las profundidades de la tierra, vestigios y restos de una vegetación poderosa que jamás había existido; que no creó, en fin, bajo millones de formas, apariencias engañosas de cosas que nunca hubieran existido esparcidas por el mundo con loca profusión, sabiendo muy bien que, después de cierto número de siglos, esas formas y apariencias saldrían á luz para extravíar á la razón humana é inducir la en error...

Partiendo de la época actual, condúcenos hacia atrás la geología á través de una larga sucesión de periodos, cada uno de los cuales se extiende más allá de muchos miles de años, hasta tal punto, que el espíritu se pierde en un pasado casi infinito...» (Op. cit., pág. 320-21.)

argumento niti hodie nunc, seu in statu actuali scientiæ; quin tamen idcirco deneganda seu rejicienda sit possibilitas rei in seipsa, nec etiam possibilitas inveniendi aliquando argumenta solidiora ad stabiliendam existentiam hominis tertiarium. Quæ quidem argumenta detecta sane sunt et adsunt ad statuendam et firmandam existentiam hominis *quaternarii*, ut ajunt; quandoquidem ex iteratis ac indubiis observationibus hominum colentium supradictas scientias naturales constare videtur, hominem coevum esse formationibus geologicis periodi quaternariæ.

5.<sup>o</sup> Ad nos non attinet, quoniam philosophi officium non est, sed physici et naturalistæ, nec argumenta et facta, quibus innitur et confirmatur existentia hominis, dum zona quaternaria formabatur, nec quorundam, præsertim heterodoxorum hominum supputationes rejicere, dum annorum centena millia enumerant<sup>1</sup>, immo vero certa ratione figere audent, quando agitur de tempore, quod effluxit a periodo quaternaria usque ad nostram ætatem. Ne autem philosophiæ christianæ discipuli seu tyrones jejuni evadant in re tanti momenti hodie nunc, subjectas theses, tanquam tot corollaria præcedentium observationum ac naturalis scientiæ christianæ, præ oculis habeant:

a) Quamquam veteres philosophi ac theologi christiani terræ existentiam existentiam hominis coævam fere efficerent, omnino adfirmare hodie oportet, non modo terræ existen-

<sup>1</sup> Mirum sane, qua animi securitate, ne dicam jactantia, homines quidam definiunt numerum annorum, qui effluxerunt ex quo homo terram inhabitare cepit. Speciminis loco audiatur Mortillet: «L'homme, ayant aparu dès le commencement des temps quaternaires, a 222.000 ans d'existence, plus les 6.000 ans historiques aux quels nous font remonter les monuments égyptiens, et une dizaine de mille ans, qui, très-probablement, se sont écoulés entre les temps géologiques et ce que nous connaissons de la civilisation égyptienne. C'est donc un total de 230.000 à 24.0000 ans pour l'antiquité de l'homme». (*Le Préhistorique antiquité de l'homme*, pag. 627.)

tiam, sed existentiam quoque plantarum et animalium, maxima ex parte præcessisse existentiam hominis multis sæculis, pluribus annorum millibus; quoniam non alia ratione concipi nec explicari potest initium, structura atomorum, successio, evolutio, magnitudo (forma sedimentaria), fossilia innumera ac diversa, quæ reperiuntur et observantur in quatuor zonis (terrenos primitivos, terrenos secundarios, terrenos terciarios, terrenos quaternarios) supra memoratis.

b) Quidquid sit de possibilitate vel probabilitate detegendi, temporis lapsu, hominem tertiarium, tanquam certum hodie haberi potest, hominis præsentiam in terra coævam extitisse periodo seu zonæ quaternariæ. Ex quo inferre licet profecto, durationem temporis elapsi, ex quo homo primum incepit terram nostram inhabitare, longiorem proculdubio esse ea duratione, quam includit ac præ se fert vulgaris seu antiqua chronologia biblica: indubium siquidem est, neque inficiari licet, octo aut novem millia annorum præfatæ chronologiæ biblicæ, omnino non sufficere ad reddendam rationem constitutionis, structuræ, vicissitudinum et transformationum, quæ in terra nostra locum habuere, ex quo tempore zona quaternaria, in qua hominis vestigia, indicia et opera reperiuntur, constitui ac evolvi cepit.

c) Quod si a veritate scientifica seu a scientiæ naturalis veris principiis et methodo discedunt, qui hominis antiquitatem intra terminos antiquæ et vulgaris chronologiæ biblicæ includere volunt, non minus a præfatis principiis ac vera scientifica methodo recedunt, qui in re hac annorum centena millia prohibitu numerant. Ut enim omittam, geologos ac paleontologos maximi nominis ejusmodi supputationes tanquam gratuitas rejicere, id certum est apud omnes, nullum adhuc detectum esse aut existere *chronometrum* tutum et fixum ad definiendam seu mensurandam durationem temporis elapsi ab epocha quaternaria usque ad nostram ætatem: ut enim habet insignis geologus Lapparent, *in factis geologicis epochæ quaternariæ nihil penitus videmus, quod ducat ad magnas supputationes, quas amplectuntur quidam auctores.*